

& eius dominus fuerint liberi ab infortunis, natus erit incolumis, si contrarium istorum fuerit, dic contrarium. Si pars hæc iungitur stellæ Bebeniæ de natura infortunæ, natus habebit infirmitatem turpem, & manifestam. Si fuerit pars hæc in una quarta figuræ, & eius dominus in altera, habebit infirmitates extra locum suum, uel habebit eas in diuersis & multis corporis sui locis. Si hæc pars ceciderit in nonam domum, & eius dominus fuerit infortuna, accidet nato damnum in incredulitate sue legis. Et si hoc modo fuerit in undecima, accidet sibi damnum in amicis. Si in quinta damnū erit filijs; In tertia, damnum in fratribus; In secunda damnū in substantia; In octaua damnum in eius morte, quod malo modo morietur; In sexta, ex infirmitate abscondita quæ fortis erit, & difficilis ad sanandum; In duodecima inimici eius insultabunt ipsi.

Si fuerit pars seruorum, & eius dominus in bonis locis in aspectu fortunarum infortunis ab eis remotis, multos seruos habebit, & fortunam ex eis, si fuerit in contrario, contrarium dic.

Pars bestiarum equitandarum, si foelix, salua, & fortunata fuerit cum domino eius in bonis locis, uel aspectu à fortunis, significat bonum usum eorum animalium. Si uero fuerit in malo loco, uel infortunata, dic contrarium huius.

## De septima domo.



**SEPTIMA** domus, significat mulieres, coniugium, apertos inimicos &c.

Si primus dominus triplicitatis huius septimæ domus fuerit fortunatus, & multi planetæ dederint ei uim suam, natus ducet multas uxores, & habebit commodum ab uxoribus. Si fuerit debilis, combustus, uel occidentalis, sine coniuge morietur.

Si fuerit secundus dominus triplicitatis in bono statu, sicut primus, & in ascendente, uel inter ascendens & Medium cœli, natus uxorem ducet in pueritia sua. Et si fuerit à parte occidentis faciet idem in senectute. Si fuerit debilis, cadens & combustus, ac occidentalis, natus sine coniugio morietur.

Tertius dominus triplicitatis si fuerit in bono statu, natus erit legalis in negotijs suis, & multi eius amicitiam ambiēt. Si fuerit in diuerso statu, erit proditor, mendax, deceptor, raptor cū furto, malus in dando & accipiendo, modice legalitatis, cū socijs.

Si fuerit pars coniugij coniuncta Marti in uno gradu, & Mercurius eos aspiciat ipso infortunato existente, natus interficiet uel suffocabit uxores. Hac parte damnata in tertia uel quinta, aget natus cum sororibus suis & filiabus. Et si hæc pars damnata fuerit, & ipsa in quarta domo in signo feminino, natus aget cum matre. Si iuncta fuerit infortunæ damnanti eam in uno signo, & Luna in septima ab ascendente, uel si eò respexerit, aget cum auuncula sua, sorore matris suæ. Si fuerit hæc pars in signo communi, & dominus ascendens in communi, & Venus infortunata, natus nō erit contentus in una uxore. Si pars hæc fuerit in sexta, aut pars seruorum in domo coniugij, uxorabitur cum seruabus, aut cum uilibus mulieribus, ac contrahet turpia & uisilia coniugia. Pars coniugij, & dominus loci sui ambo cadentes, & cum infortunis corporaliter iuncti, uel in quadrato aut opposito ipsorum, significat coniugium malum, & quod copulabitur cum malis mulieribus meretricibus, maxime si fuerint sine aliquo fortunæ aspectu. Quando dominus partis coniugij fuerit fortuna, directus in suo cursu, in angulo uel succedenti ab infortunis liber, uxorabitur bene cum muliere pulchra & bona, sine macula. Si contrarium fuerit, contrarium dic. Si fuerit hæc pars coniuncta Lunæ, uel in eius aspectu, natus ille uel nata cōiugem sibi adiunget de sua progenie. Si fuerit dominus partis coniugij in domo coniugij, natus occultas inibit

Z iij nuptias